

Sancti Petri in arcu, villam Crisani, villam Archagnani, villam de Ducentis, villam Castellucii et circum Castrum Latini et alia loca circumstantia, ~~pro~~ eorum meritis [a], destruxerunt penitus. Præterea, ad eorum stultitiam et linguam penitus domandam ac refrenandam, castrum Cosnæ reedificantes, castellum Sancti Petri nominatur [b], quod dat securos omnibus aditus viarum. Secus vero portam de Monacho [c], munitionem optimam noviter facientes [d], Castellum Leonis vocarunt [e], quod portus est et janua strætæ Ravennatum. Cum autem Faventini parati essent in mense Junii, omnibus suis amicis optime paratis, ad obsidendum Forolivium, Bononienses, extracto eorum cartocio, ad Faventinorum servitium, Forolivium precibus per artes [f] suas interposuere [g], obsidibus ab utraque parte acceptis, in festivitate vero Sancti Michaelis trehugam [h] per xv menses componentes; quod Faventini penitus noluerunt (100*).

Quando Communancia [i] Armaturarum Lucum destruxerunt.

CAP. CLIV.

Anno Domini MCCXVIII, sub domino Talamacio Faventinorum rectore, volentes siquidem Communancia Armaturarum ulcisci mortes atque injurias multas, quas homines [j] de Lugo [A] contra populum [k] Faventinum per furta et latrocinia offendere niterentur [l], quosdam occidendo, alios vero vulnerantes [m] et semivivos relinquendo; quapropter dicta Communancia, tanto dolore tantaque injuria perniciem accensa, tempus expectaverunt [n] idoneum, quo importabile pondus a suis quirent [o] cervicibus excutere. Porro Communancia Armaturarum, xxxvi acceptis obsidibus, eis firmissime præceperunt, ut burgum cum castellare destruere deberent, et extra episcopatum Imolensem exire. De voluntate vero Armaturarum, in fundo scilicet de Flaibanico [p], in episcopatu Faventinorum perpetuo permanentes [q]. Verum, quia contra voluntatem domini archiepiscopi Ravennatis, cujus præfatus erat locus, vilipendentes fecerant, remanserunt excommunicati tam culpabiles quam non culpabiles. Quæ quidem omnia Lucenses [r], ad mortem dolentes, datione tamen obsidum mandaverunt effectui.

[a] pro eorum meritis. Supplevi pro. — [b] Sancti Petri nominatur. Sic lego Codd.; Sancti Petri nominatur, legit Cl. Mitt. — [c] portam de Monacho. Sic C. V.; Cl. Mitt. legit: prata de Monacho; nam in C. M. est pta, et pratam, legit etiam Tondutius. Prata de Monacho, hodie Mungaria, videtur fuisse olim Monegaria, sive Pomposa, ut colligo ex charta anni 1536 Arch. Azz., est in schola Pratae et Fossulae. — [d] noviter facientes. Sic lego; non novit, ut habent Codd. — [e] Leonis vocarunt, C. M.; Leonis vocare, C. V. — [f] per artes. Sic lego in C. V.; sed Cl. Mitt. legit: per partes. Deesse tamen aliquid videtur. — [g] interposuere. Sic Codd. — [h] trehugam, C. M.; tregum, C. V. — [i] Communancia. Sic C. M., semper. In C. V., Communantia. — [j] quas homines. Sic Codd. An legendum: quod homines? — [k] contra populum. Sic legit Cl. Mitt. In Codd., circa populum. — [l] offendere niterentur. Sic lego. In C. M., offendere niteratur. In C. V.; offendere niterantur. — [m] alios vero vulnerantes. Sic C. M. In C. V., alios vero vulneratos. — [n] tempus expectaverunt, C. M.; tempore expectaverunt idoneum, C. V. — [o] a suis quirent, C. M.; asinus quiret, C. V. — [p] de Flaibanico. Sic Codd. — [q] perpetuo permanentes. Subintellige fuerunt. — [r] Lucenses. Sic Codd.; idest Lugienses.

[A] Vulgo Lugo. Distat Faventia milliariis undecim septentrionem versus.